Quelle: https://manuscripta.at/?ID=31296
Copyright: CC BY 4.0 <img src="https://manuscripta.at/styles/icon_cc_by.png"> Kontakt: Stift Stams   <img src="https://manuscripta.at/styles/universitaets-landesbibliothek-tirol.png" height="48">   <img src="https://manuscripta.at/styles/BMKOES_Logo.svg" height="48">   <img src="https://manuscripta.at/styles/EUnion_POS1.jpg" height="48">

perfecti. quid tunc haberemus ab aliis pro deo pati. Nunc autem deus sic ordinavit ut discamus alter alterius onera portare, quia nemo sine defectu, nemo sine onere, nec sibi sufficiens. nemo sibi satis sapiens, sed oportet nos invicem portare, invicem consolari, pariter adiuvare. instruere et amonere. Quante autem virtutis quisque fuit, melius patet occasione adversitatis. Occasiones namque hominem fragilem non faciunt. sed qualis sit ostendunt.

De monastica vita

xvij Oportet quod discas te ipsum in multis frangere. si vis pacem et concordiam cum aliis tenere. Non est parvum aut in monasteriis vel in congregatione habitare, et inibi sine querela conversari, et usque ad mortem fidelis perseverare. Beatus qui ibidem bene vixit, et feliciter consummavit. Si vis debite stare et proficere. teneas te tamquam exulem et peregrinum super terram. Oportet te stultum fieri propter Christum. si vis religiosam vitam ducere. Habitus et tonsura modicum confert, sed mutacio morum et integra mortificacio passionum verum faciunt religiosum. Qui aliud querit quam pure deum, et anime sue salutem. non inveniet nisi dolorem et tribulacionem. Non potest eciam diu stare pacificus qui non nititur esse minimus, et omnibus subiectus. Ad serviendum venisti et non ad regendum

ad paciendum